DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Mercurii vigesimâ-tertiâ mensis Junii, Anno Domini M. DCC. LI.



PRÆSIDE.

M. JOANNE MAC-MAHON, Doctore Medico, in Nosocomio Regio Colmariensi Medico ordinario.

An Vomitui pertinaci, Acida lenibus Aromaticis nupta?

I.



OMITUS violenta dicitur expulsio contentorum ventriculi per os. Irritatis scilicet sacci hujusce membranacei fibrillis nerveis, spiritus vividioribus undis refluunt ad sensorium commune, indeque vel ob viciniam originis, vel ob angulos reflexionis & incidentiæ æquales, vel ob plexuum vicinorum distractionem, in nervos qui diaphragmati & musculis infimi ventris prospiciunt, rapido motu feruntur: quibus simul contractis, ventriculus duobus quasi prælis interjacens, in arctissimum spatium redactus, hærentes intus succos ingenti vi per orificium superius eructat, dum intereà detruso hepate, convulsisque musculis abdominalibus rugosus occluditur pylorus. Illud quidem magno sæpè ægrotantium bono accidit, (*a*) *cum non tantùm tenaciùs ventriculi glandulis impactos humores amolitur vomitus, sanguini penitiùs immixtos liquando tenuat, & per varia incernicula extrudit, sed & partium elaterem spirituum νάρκωσι languentem erigit, fractum vasorum tonum instigat, systolen adauget, unde stagnantes vel morantes quassantur, teruntur & protruduntur succi: restaurato sanguinis & lymphæ circuitu impeditæ extricantur glandulæ, compressæque spirituum orbitæ & tractus explicantur.* At nihil ex omni parte beatum. Ab eodem diutiùs producto innumera mala sobolescunt: ejectis enim indesinenter quæcumque assumuntur, succisque ex universo corpore in intestina & ventriculum affluentibus, continuò expressis, corpus suo defraudatum alimento verâ tandem atrophiâ consumptum marcescit: viscera si quæ sint chronicis jam morbis multum labefactata, rupturæ lethalis discrimini objiciuntur. Stomachus suâ sede dissilit, compressoque fundo sursùm impetu rapitur: adjacentes quas succutit & ad se attrahit membranæ partesque tremulo motu quassatæ diutiùs, tono fractæ fatiscunt. Turbato toto systemate nervoso, *spasmodico sæpe motu convelluntur* (*b*) *veriùs quàm contrahuntur ipsi artuum musculi. Impedita respirationis organa, coacta in angustum abdominis viscera propulsum corde difficiliùs parciùsque admittunt sanguinem, quem eò fortiùs abundantiùsque ad cerebrum necesse est evibrari, quò adversùs pressionem exteriorem osseo calvariæ propugnaculo munitius est, molliorique fibrarum contextu fabricatum.... Summus ergò metus est* (*c*) inquit celeberrimus Van-Swieten, *ne à diuturno & valido vomitu rumpantur encephali vasa, & ab effusis humoribus compresso cerebro lethalis apoplexia fiat, quàm toties inter vomendi conatus acci-*

(*a*) D. Vernage, in quæst. *An malignæ febri, saphenæ sectio, emeticum?*

(*b*) D. de la Vigne, in quæst. *An noxia febri malignæ vomitoria?*

(*c*) Comment. in Aphorism. Hermanni Boerhaav, §. 656. Tom. 2. p. 235.

disse historia Medica testatur. Turget enim tunc facies & rubet, oculi sanguine suffusi lacrymantur, venæ jugulares inflatæ tument, scintillæ & varii colores oculis obversantur, tinniunt aures, vertiginosi fiunt, & post validum vomitum sæpe per aliquod tempus hebetes & somnolenti manent homines. Tantæ malorum Iliadi, recisâ radice, obviam ibit vomitum compescendo, qui ejus causas ritè perspectas habuerit, iisque aptam applicare medelam noverit.

II.

VENTRICULUS phlogosi, ulcere, scirrho tentatus, sive accumbentium viscerum vitio lacessitus, sive dissitis etiam partibus, renibus, v. g. aut utero condolens facilè convellitur; & intrò quasi rapto abdomine vomitus excitantur enormes. Adeò enim esse partem hanc irritabilem testatur jam laudatus celeberrimus Van-Swieten, ut, ejus externâ etiam superficie rudiùs attactâ forcipe, vel cultelli apice punctâ in mortuo jam (*a*) animali, convellatur. Crocum metallorum collyrii formâ oculus sine dolore admittit; deglutiatur idem, quantos brevì ciebit tumultus! Solus inordinatus spirituum motus, ut in hominibus navi aut rhedâ vectis, aut in gyrum celeriter actis videre est, totam ferè corporis habitudinem turbat & evertit. At hæ omnes causæ satis evidenter innotescunt, methodumque postulant curatoriam, morbis, è quibus scaturire solent, debellandis appositam. Sin à materiâ lentâ & viscidâ, aut à bile intùs aggestâ oriatur, diluti & attenuati priùs humores vomitorio everri se patientur. Sublatâ tamen vomitionis causâ materiali sive remotâ, sæpè persistit pertinax vomitio à spasticâ fibrarum oscillatione adhuc vividiùs perseverante, & musculos abdominales cum diaphragmate in consensum trahente. Quemadmodum enim (*b*) seroso-biliosi, sanguinolenti, mucosique alvi fluxus à spasmodicis intestinorum motibus oriuntur; sicut in epilepticis insultibus, ab effræni nervorum distentione omnis generis excrementa invitè eliminantur, in singularibus oculi vel uteri fibrarum spasmis, lacrymæ injussæ fluunt, & fluor albus exprimitur, ita etiam ventriculi motu præternaturali perseverante, affluentes undequaque succi continuò, quâ data porta, propelluntur. Constat ex mechanicis, corpus fune pendulum, si à lineâ directionis perpendiculari deducatur, perpetuò ascendere, & descendere, arcusque *isochronos* describere, si in *cycloide* moveatur. Chorda tensa impulsa oscillare pergit, licet debiliùs, per sat longum tempus, ideò in organo musico fidibus intento, panni coccinei frustulis ad temperandos fidium tremores utuntur artifices. Quidni ergò eadem oscillatio in villis ventriculi sensu exquisitissimo donatis semel excitata sublatâ etiam causâ stimulante perseveraret? Spiritus enim nervorum incolæ (*c*) validiùs & copiosiùs influentes à cerebro, extremos vasorum, quæ perfluunt, fines, ubi eorum impetus terminatur, distendunt & distrahunt; partes autem nimis distractæ sese iterum restituere conantur, tantâque vi in contactum urgentur, ut superatâ liquidi influentis resistentiâ, illud in refluxum cogant; quo facto & remisso momento virium, quibus in cohæsionem venerunt, iterum fit influxus. Hac alternatione influxûs & refluxûs, seu contractionis & distractionis, fit concussio vehementissima universi corporis, totius saltem nervosi ac membranosi generis, unde magna & vivida fluctuatio & dissipatio spirituum, succorumque ad contactum fibrarum ubivis hærentium expressio. Jam verò, vis motos componere fluctus? Vis consistat stomachus, cessetque fibrarum oscillatio nimia? Hoc præstabunt acida lenibus aromaticis nupta.

(*a*) Van-Swieten Commen. in Aphorism. Boerhaav. §. 654. Tom. 2. p. 235.

(*b*) D. Ant. de Jussieu in quæstione. *An inveteratis alvi fluxibus Simarouba?*

(*c*) Vid. Santorini *de structurâ & motu fibra*, & Bellini *de stimulis & villo contractili.*

III.

SALIA acida, si ad phœnomena sensibus obvia attendas, ea sunt, quæ sapore proprio acido, effervescentiâ cum pluribus alcalicis se produnt, quæ chartæ ceruleæ rubedinem conciliant, putredini resistunt, & cum terreis aut alcalinis substantiis, in corpus insipidum vel in salia neutra mutantur. Liquidâ plerumque formâ prostant, sicci tamen sunt tartarus & sal succini volatilis: prior adhuc paucâ terrâ & multâ substantiâ pingui resinosâ combinatur. Acida illa generatim sunt vel mineralia, vel vegetabilia, vel animalia; ex insectis enim aculeo instructis, ut ex formicis, acidum elicitur. Acidum minerale, ut omnibus notum, triplex; vitriolicum, nitrosum, & salis communis. Acidum vitriolicum vegetabilium succis arctè immixtum, in eorum nutrimentum cedit, in iisque pro vario maturitatis statu variè linguam

afficit, sapore jam *(a)* sincerius acido, jam austero, jam dulci, prout accedente mucilagine, vel oleo, vel terris diversis variè mutatur. In chaos etiam aereum montium ignivomorum effluviis & minerarum ustulationibus effusum, ubique vagatur, ut tartari vitriolati ex cineribus clavellatis aeri expositis productio demonstrat, unde meritò acidum universale dici debet, quum per singula naturæ regna latissimè dispersum, cæterorum omnium acidorum fons & origo sit. Aromatica blanda, sale volatili & oleo æthereo, plantæ, è quâ elicitur, virtutibus divitæ turgent, qualia sunt Melissa, Mentha, Rosa, Majorana, aliæque ejusmodi suaveolentes herbæ. Eorum vis præcipua hæret in aquis stillatitiis primò prodeuntibus, quæ oleo hoc inflammabili scatent; olea enim ejusmodi essentialia sacchari ope in aquâ simplici soluta vices aquæ destillatæ tueri possunt. Promptè cum acidis sociantur, unde methodum excogitavit Dominus Homberg *(b)* oleum essentiale è rosis majori copiâ eliciendi quam vulgò fieri soleret. Macerari eas per plures dies in aquâ à spiritu vitrioli instillato acescente præcepit. Oleum quasi alis ab acido instructum tertiâ parte auctum, in sublime rapitur. Dum itaque aqua quædam aromatica menthæ v. g. aut florum aurantiorum, cum spiritûs vitrioli guttis aliquot & ejusdem menthæ sirupo, vomitanti propinatur, statim ad suavis medicamenti attactum blandè stringuntur fibræ ventriculi, nimia earum mobilitas quasi tonicè sistitur; gratâ sensatione recreati spiritus, placidis undis refluunt ad sensorium commune: hinc influxus eorum lenior & moderatus, cumque antea in solius ventriculi fibras partesque ab ipso in consensum raptas rapidissimè irruerent, omniaque susque deque moverent impetuosiùs, nunc in musculorum omnium fibras leni & æquabili fluento feruntur; pulsus antea depressus erigitur & purpureus latex in totius corporis habitudinem calorem & vitam allaturus diffunditur.

(a) Junckeri *conspectus Chemiæ.* Tom. 2. pag. 202.

(b) Comment. Reg. Scient. Acad. anno 1700.

IV.

DUBITAS rem ita se habere? percurre varia ex acidis & lenibus aromaticis aut iis analogis substantiis parata medicamina: eorum effectus accuratiùs perpende. Omnia nostræ assertionis veritatem suadebunt. Quid aliud testatur Elixir vitrioli Mynsichti, quod ex oleo vitrioli, spiritu vini & aromatibus variis unà digestis concinnatur, & cujus ipse in vomitu, qui ægrum à tribus hebdomadis excruciaverat, sedando vires expertus sum? Quid spiritus nitri dulcis & essentia carminativa Wedelii, quæ colicos dolores virtute suâ antispasmodicâ egregiè placant? Nonne huc etiam referri potest liquor ille celeberrimus ab eximiâ volatilitate & penetranti odoris suavitate æther dictus? Ad eundem accedit liquor mineralis anodynus Hoffmanni, ex oleo vitrioli & spiritu vini paratus. Ipse spiritus vini, in quo olei ætherei acidique subtilis præsentia multis experimentis demonstratur, tonicâ & adonynâ virtute se commendat. Spiritus urinosi à Boerhaavio & aliis plurimis laudantur, ubi à sensorio communi nimis facilè mobili, exlex fit spirituum moventium impetus, in hos illosve musculos irruentium sine regimine animæ. Spiritus autem urinosi ex intimâ conjunctione acidi & inflammabilis principii generantur: vitriolum enim si cum calce vivâ destilletur, spiritum præbet urinosum. Sin eidem affusus vini spiritus sæpiùs abstrahatur, grato vini Malvatici odore perfunditur spiritus, & vi sensibiliter anodynâ donatur, teste Angelo Sala. Paracelsus asserit proprietatem epilepsiam sanandi vitriolo divinitùs inesse. Sulphur vitrioli anodynum, sive potiùs terram mineralem subtilem & figentem cum spiritu sursùm efferri plures contendunt Chemici, & ab illâ emanare vim; quâ pollet, motus enormes compescendi. Acetum ipsum, singultum, qui motibus convulsivis accenseri debet, illicò sæpè tollit; imò verò somno vinoque sepultus ex spirituum fermentatorum abusu, ingesto excitatur aceto; hinc juxta Boerhaavium nervis erigendis, lenique oscillatione movendis vix aliud aptius. Quid memorem Riverii celebre remedium antiemeticum ex sale absinthii, & succo citrei; quod stimulo quem exerit, spasmos brevi evanidos excitando, fortiores vomitum committentes solvit. Fortè tamen feliciùs ageret, si absque sale absinthii idem succus, lenibus aromaticis junctus, propinaretur. Grata enim aromatica remedia, blando, quem excitant, sensu, fibras quasi demulcent in æquabilem contractionem: vim medicaminis venis diffundi mediante ventriculo totum statim

experitur corpus. Augetur pulſus: prono & æquabili lapſu abripitur vitale fluentum: lenis & placida in nervorum origine excitatur ſpirituum undulatio : unde minor in ventriculum ſuccorum cujuſcumque generis affluxus, & optata tandem diris agitati procellis organi tranquillitas.

V.

VERUM, inquies, numquid opiatis hæ turbæ rectiùs compeſcendæ veniunt? Quemadmodum motu vita mortalium fovetur & tollitur, ita eodem tollitur & reſtituitur ſanitas. Torpeſcens & languidior motus medicamentis ſpirituoſis & volatilibus excitatur. Modum excedens anodynis ſedatur. Duplici autem modo agunt anodyna in ipſa ſolida, vel eadem laxando vel ſtringendo & quaſi tonicè ſiſtendo, ita ut indurata quodammodo & firmata nonniſi majori momento virium ſede ſuâ dimoveri ſe patiantur. Opiata verò agere laxando fibras nerveas ferè convenit inter Medicos, graveſque eorum noxas recenſet Wepferus in tractatu de cicutâ aquaticâ. Quemdam à viginti guttis laudani liquidi ad ſiſtendum vomitum aſſumptis extinctum fuiſſe teſtantur (a) obſervationes Edimburgicæ. Non ideò tamen ſua opiatis laus deneganda, ſed ab evacuationibus immodicis debilitato ægro, & à prægreſſis ſpaſmis atoniâ viſcerum laboranti vix tutò propinantur. Urgebis, ſaltem acida nervis prorſùs inimica eſſe, & ab eorumdem nonnullis, emeticorum ex antimonio paratorum, vim intendi. Eſto, acida pura, cauſtica quidem & acerrima, nervis proinde inimica ſint, ſed hìc agitur de iiſdem dilutis & ſuavi cum blandis aromaticis connubio delinitis. Acidum vitriolicum de ſe fixum & acre cum principio carbonum inflammabili, abit in verum ſulphur, inſipidum & volatile: cum octavâ ponderis ſui parte olei aniſi mixtum & digeſtum in amariſſimam abit ſubſtantiam; hinc amaris & tonicis medicamentis eſſentialiter ineſſe videtur acidum vitrioli. Quid quod ab eodem, imò & à reliquis acidis, fonticulorum dolores peculiari quâdam efficaciâ protinùs placari aſſerat Junckerus (b); Ab aceto deſtillato optimè corrigi omnia corroſiva, ſeu venena mineralia & infringi vim emeticam vitri antimonii teſtatur poſt Baſilium Valentinum idem Junckerus. (c) Conſtat ſaltem mercurium præcipitatum viridem ab aceto deſtillato in quo ſolvitur mirum in modum miteſcere. Verum eſto, acida metallis unita vim edant emeticam, idem non præſtabunt, ſi lenibus Aromaticis blando ſocietatis vinculo conjungantur.

(a) Verſionis Gallicæ Tom. 4. artic. 17.

(b) Conſpect. Chemiæ Tom. 2. pag. 229.

(c) Conſpect. Chemiæ Tom. 2. pag. 248.

Ergò Vomitui pertinaci, Acida lenibus Aromaticis nupta.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Alexander-Dionyſius Dienert.

M. Urbanus de Vandeneſſe.

M. Ludovicus-Joannes le Thieullier, Regis Conſiliarius, in Majori Conſilio & in Magnâ Regiæ Domûs & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius, Regiæ Societatis Londinenſis, necnon Imperialis naturæ Curioſorum & Regiæ Matritenſis Academiæ Socius.

M. Carolus Geille de S. Leger.

M. Theodorus Baron.

M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.

M. Jacobus-Ludovicus Alleaume.

M. Andreas Cantwel, Regiæ Societatis Londinenſis Socius.

M. David Vaſſe.

Proponebat Pariſiis CAROLUS GILLOT, Barroducæus Tullenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.